



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

87. An prohibitio contra colloquentes cum Monialibus afficias, etiamsi ipsa
Monialis non respondeat? Et quid è contra, si audierit Monialem sibi
loquentem, si ipse illi non respondeat? Et an peccet ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

disp. 1. de Censur. quest. 1. part. 1. num. 9. ratione de qua supra; quia licet in his casibus delictum inchoetur in territorio Episcopi, consummatur tamen in loco exempto. Limitant hoc Ayala, & Bonacina, *locus citatus*, ubi excommunicatio lata esset contra accedentes, seu cunctas ad Monasteria Monialium, quia hoc casu delictum non tantum inchoaretur, sed etiam consummaretur in territorio Episcopi. Quam opinionem sequitur Diana *tom. 5. tract. 9. resol. 71.* Sed contrarium est verius, neque hoc casu incurri dictam excommunicationem. Ita post Henriquez, & Sayrum, docet Fagundez *loco supra citato*, quam opinionem allegatis, Sylvestro, Rosella, Rolando a Valle, & Campanile, sequitur Barbosa *de potestate Episcopi alleg. 102. num. 73.* quando expresse non est veritus accessus, vel aditio, ut ita dixerim, ad Monasteria etiam exempta; quod etiam videtur probare Bariola licet dubitanter, apud Dianam *loco superscripto*. Hucusque Alphons. de Leone.

2. Sed ego in loco citato a Leone non explicavi sententiam meam: Sed adduxi Bariolam pro negativa, & Bonacinam pro affirmativa; nunc autem assero utramque sententiam probabilem esse; sed affirmativam tanquam probabiliori adhæreo, quam novissime tuncur Ioseph Ianuarius, *de casibus reservatis, resol. 34. num. 22.* Tum quia Episcopus est delegatus Apostolicus ad conservandam clausuram, ut dixi ex Concilio Tridentino, & ad Clausuræ conservationem spectat prohibitio collocutionis cum Monialibus, ut docet Barbosa, Sanchez, Bariola: ergo ut delegatus potest excommunicare colloquentes cum Monialibus exemptis, ut hoc Vgolinus *de potestate Episcopi, capite 21. §. 4. num. 4.* Tum quia Episcopus non amittit jurisdictionem in suos subditos, ex eo quia sunt in Monasteriis exemptis Monialium, nam loca Monialium dicuntur exempta ratione personarum tantum, unde Monasteria hæc Monialium non dicuntur esse extra Diocesim, sed in Diocesi, *argument. text. in capite, Cum Episcopus, de Officio Ordinarii*, ubi hoc notant Doctores; & Glossa in *Clement. 1. de foro compet. verb. Aut earum parte*. Cagnol. aliis relatis, in *leg. ultima, numero 13. ff. de Jurisdictione omn. Jud. de quo vide Merollam, tom. 2. disputat. 4. capite 3. numero 489.* Et hoc patet evidenter: nam si Moniales illæ exeant, ab illo loco, & in alio Monasterio, vel loco inhabitent, locus ab ipsis habitatus efficitur exemptus, & locus derelictus, & quæ in ipso habitant remanent subiectæ Jurisdictioni Episcopi, intra cujus Jurisdictionem invenitur. Insuper Episcopus existens, seu habitans in his Monasteriis exemptis, verè dicitur residere in sua Diocesi, & ideo alternativa gaudet, Gomez in *regul. 8. Cancellarias, glossa 43. questione 7. num. 108. & sequentibus*. Gratianus *tom. 5. discept. Forens. capite 918. numero 14.* Adde quod si Episcopus non posset punire inibi delinquentes, neque Superiores Monialium subiectarum Regularibus, c. g. ergo delicta ibi patrata remanerent simpliciter impunita; quod non est dicendum. Non potest tamen Episcopus Moniales exemptas colloquentes cum suis subditis punire, ut testatur Sell. in *Select. Canon. cap. 30. num. 18.* quod sit decisum sub die 8. Augusti 1621. Vide Barbosa in *Collect. in Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. num. 121.* Hæc omnia Ianuarius, ubi supra, qui citat Suarez, Coninch, Salas, Palaum, & Filliucium, quibus ego addo Novarium in *Pragmat. 3. de Monialibus, Collect. 4. num. 3.* Campanilem, in *Diver. Jur. Can. Rubr. 12. cap. 16. numero 45.* Barbosa, *de potest. Episc. part. 3. alleg. 102. num. 45.* Gratianum, *tom. 2. Discept. Forens. cap. 303. numero 21.* & novissime Squillante *de oblig. & priv. Episc. part. 1. cap. 13. mod. 46.* ubi sic ait: Nulla tamen adest cen-

sura, & poena imposita à jure communi contra loquentes cum Monialibus, sed tantum per Edictum Episcopi solent imponere poenam excommunicationis, in quam excommunicationem incidunt quoque colloquentes cum Monialibus exemptis, quando expresse vetitus fuerit accessus ad Monasteria exempta, si absque licentia colloqueretur cum illis: nam licet Episcopus jurisdictionem non habeat in Monasteria Monialium exempta, nisi habito respectu ad clausuram puniendi violantes ex sacro Concilio Tridentino, *sess. 25. cap. 5.* nihilominus potest excommunicare subditos, si absque licentia cum his Monialibus loquuntur, quia in eos habet jurisdictionem, & potest hoc facere ad tollendam suis subditis occasionem peccandi. Ita ille.

3. Sed ut dixi, negativam sententiam probabilem esse puto, & ut talem etiam admittunt adversarij. Et ideo Ianuarius, ubi supra, *resol. 47. num. 4.* Sic ait: Suppono, rationem, qua probatur Episcopum, uti Delegatum Apostolicum, posse excommunicare subditos in Monasterio exempto colloquentes, non habere omnimodam evidentiam; ita quod omnino improbabilis remaneat opinio opposita. Fundatur enim in delegatione Apostolica communicata Ordinariis in ordine ad clausuram; & accessus ad loquendum cum Monialibus ad clausuram spectat, secundum Barbosa, &c. At quod accessus ad colloquendum spectet ad clausuram, adhuc evidens non est, sed est sub opinione probabili, quæ opinio secum admittit oppositam etiam probabilem; ergo ratio non est omnino evidens; Nec ratio dicens, quod sit prohibitus accessus, est simpliciter vera. Ita Ianuarius. Et absolute me citato putat Pater Vidal *supra, n. 103.* quoad omnes leges Episcopales, Regularium Monasteria esse loca exempta, non solum ratione personarum inhabitantium, ut sentit Suarez *de cens. disp. 5. sess. 4. num. 6.* verum etiam ratione loci per se, ut affirmant Bonacina, & Paulus Squillante quos probat Diana, *part. 3. tract. 5. resol. 74. §. Dico, in fin.* Ideo cum in loco exempto, qui pro extraneo habetur, quis possit licite non servare leges Episcopales; sequitur hoc idem affirmandum esse in Monasteriis regularium ab Episcoporum jurisdictione exemptis. Unde ait Fagundez cum aliis, quos refert Diana, *part. 1. tract. 10. resol. 14. §. Ex his omnibus*, posse aliquem in loco exempto posito intra eandem Diocesim ipsius Episcopi, laborare in diebus Festivis de præcepto ejusdem Episcopi, & ejus jejunia non servare; hoc idem quoque est dicendum de aliis Episcopilibus legibus. Hæc Vidal.

Sup. hoc in § præterito paulo post initium, & inf. in Ref. 97. §. 1. ad med. &c.

Quæ hic est inf. Ref. 99. & in Ref. 102. &c.

Quæ nunc est in 106. tr. 1. Ref. 48. & in tom. 4. tr. 6. Ref. 41. §. 1. post med. leg. à vers. Vade.

RESOL. LXXXVII.

An prohibitio contra colloquentes cum Monialibus afficiat, etiam si ipsa Monialis non respondeat?

Et quid è contra, si audierit Monialem sibi loquentem, si ipse illi non respondeat?

Et an peccet contra prohibitionem, qui loquitur cum Moniali per interpretem?

Idem est dicendum de eo, qui de domo posita prope Monasterium loquitur cum Monialibus.

Idem est de loquentibus cum Abbatissa.

Idem de scribentibus ad illas.

Idem de advenis, peregrinis, pueris, & puellis ante 14. annos accedentibus ad colloquendum cum Monialibus.

Et quid de declarante Moniali aliquem casum conscientie?

Et an Episcopi loquentes cum Monialibus includantur in Edicto

Edicto Ordinarij illius loci, contra colloquentes cum Monialibus?

Et quid de Canonicis Ecclesie Cathedralis, an includantur in predicto casu, & Edicto, vel possint ad Monasteria Monialium accedere, & cum ipsis loqui?

Et tandem deducitur, quod legis mens magis est attendenda, quam verba. Ex part. 10. tract. 14. & Mis. 4. Ref. 51. alias 49.

Sup hoc sup. §. 1. **N**egativam sententiam docet Pater Vidal in *Arca Theol. Mor. tit. de Monialibus Inquis. 4. num. 25.* ubi sic ait: Aperte colligitur ex verbis Decreti Sacre Congregationis, ubi prohibetur Regularibus accessus ad Moniales ad colloquendum cum illis, colloqui est simul loqui, nempe sit locutio ex parte utriusque, allocutio autem fit ex parte tantum unius. Ita Grassius in *quinque casibus*, lib. 2. cap. 5. num. 1. Nota Lector distinctionem, & tuta conscientia sequere nostram opinionem. Ita ille. Et hanc opinionem loquendo de casu reservato Ecclesie Neapolitane firmat Ioseph de Ianuario de *Casibus reserv. resol. 39. per totam*; quia prohibitio stante verbo *Colloquentes*, requirit reciprocam locutionem: at qui loquitur tantum, non colloquitur: ergo, &c. Confirmatur; quia ea quae notabiliter sunt, nisi specialiter notentur, videntur neglecta à lege, leg. *Item apud Laborem §. At Prator. ff. de Injuris*. Sed alloqui, & colloqui faciunt sensum notabiliter diversum, & non sunt specialiter notata: ergo signum est, quod allocutio est neglecta à nostro statuto, & consequenter qui alloquitur non facit contra intentionem statuentis. Confirmatur Secundo: nam statutum editum principaliter in favorem, si poenam continet, habet naturam odiosam, & ut odiosum est restringendum, ut optime Sanchez; lib. de *Matrim. disp. 1. num. 5. in fin.* qui citat Gloss. in leg. 2. Cod. de in jus vocando, verb. *Liberis*, ubi Bartolus, num. 1. Baldus, num. 4. Alexander, num. 5. Sed hæc constitutio etsi favorabilis, poenam excommunicationis continet: ergo ejus verba sunt restringenda, & accipienda secundum suum proprium significatum: sed colloqui proprie non est alloqui: ergo colloquium non debet extendi ad alloquium, & consequenter qui alloquitur in penalibus non colloquitur. Confirmatur Tertiò: nam potuit Episcopus reservans uti verbo alloquendi, si intendebat comprehendere omnes quomodocumque alloquentes.

2. Sed his non obstantibus, Merolla, tom. 1. disp. 1. cap. 2. num. 589. affirmativam sententiam mordicus tenet, Primò, quia consuetudo, quæ potest legem facere, multò magis potest legem interpretari, & idè dicitur optima legum interpretes, leg. *Si de interpretatione 37. ff. de legibus. & cap. Cum dilectum, de consuet.* At verò, quamvis verba dicti statuti Synodalis proprie significant duorum simul locutionem: tamen consuetudo semper illud intellexit, etiam de simplici allocutione: unde communiter omnes, non solum rudes, & illiterati, verum etiam periti ita loquuntur, quod scilicet alloquens Moniales sine licentia Ordinarij est excommunicatus. Sed communis usus loquendi præfertur proprio significato vocabuli, etiam in materia poenali, & odiosa, ut ex materia statutorum. Textus est notabilis, in leg. *Labeo*, & ibi Bartolus notat, ff. de *Supell. leg.* & docent idem Bartolus, in leg. *Omnes populi*, q. 6. principali, vers. *Iuxta præmissa quæro, ff. de Inst. & Iur.* Deinde, licet verba legis poenalis regulariter non sunt extendenda ultra proprium significatum; tamen hoc limitatur nisi lex redderetur inutilis, & finis, seu mens Legislatoris frustraretur; tunc enim impropriari debent verba legis, &

extendi ultra proprium significatum, ut docent communiter Doctores. *Argum. cap. Si Civitas de sentent. excommuni. in 6.* Et de verbis Testamenti, quod impropriari debeant, ut voluntas Testatoris locum habeat, asserunt Socinus, sen. cons. 2. num. 8. volum. 4. Decius, consil. 399. num. 7. volum. 2. Surdus alios referens, consil. 116. numero 69. volum. 1. At in nostro casu, si nomen collocutionis non extenderetur ad quamlibet allocutionem, statutum prædictum redderetur inutile, & mens, seu finis Prælati statuentis frustraretur, ut clarè patet: nam & statutum contemneretur, & Prælati non assequeretur finem intentum, qui est tollere occasionem peccati, & removere impedimenta, quæ Moniales ab acquiritenda perfectione retardare possunt. Nota tamen, quod Ianuarius ubi supra conatur respondere ad hæc argumenta.

3. Sed ego non recedo ab opinione Merollæ: nam res morales, moraliter, & non metaphysicè tractandæ sunt, & idè ista duo verba *Colloqui*, & *Alloqui*, in præsentem materiam tanquam synonyma sumenda sunt, & tanquam idem significantia; & idè in primo Decreto Sacre Congregationis contra Regulares accedentes ad Monasteria Monialium, anno 1590. & in secundo anno 1623. Eminentissimi Cardinales id quod primum statuerunt, & prohibuerunt cum verbo *Colloqui*, postea statim statuerunt, & prohibent cum verbo *Alloqui*, ut Legentibus patet aperte in dictis Decretis appositis per extensum à Lezana in *Semina tom. 4. verb. Moniales*, num. 18. & 19. Adde, quod lex non est posita verbis, sed rebus, ut patet ex leg. 2. in fine, Cod. *Communia de legat. leg. fin. Cod. de Vfuris, cap. Secundo requiris, de Appellat.* Surdus *Aliment. tit. 9. quæstione 21. numero 20.* Abbas, consil. 93. in quæstione, colum. 2. circa med. vers. *At idem facti*, lib. 2. Romanus, consil. 428. in terminis numero 12. Stephanus Gratianus, discept. *Forens. cap. 136. numero 17.* Ferrerius in *Constitut. Cathalonie*, gloss. 5. numero 160. Sigismundus Scacc. de *Appellat. quæstione 17. limit. 10. numero 14.* Et idè legis mens magis est attendenda, quam verba; leg. *Si re leges, Digest. de legibus, leg. Non aliter, ff. de legat. 3. leg. Si meministi, & rei, §. Per verbum ex legibus, Digest. de verb. signif. Surdus, de oblationibus, cap. 35. num. 14. Marcus Antonius Genuentis, in *Prædictis. Cathalonie*, gloss. 4. numero 66. cum cumulat à Tiraquello in leg. *Si unicam, verb. Libertatis*, num. 47. de revocanda donatione. Escobar à Corro de *irrogat. Foro*, art. 6. num. 106. Donello in *Commentariis lib. 1. cap. 13.* & ibi Osualdus lit. B, cum aliis. Existimo tamen ut * alibi docui Grassium, non contravenire Decreto Sacre Congregationis, neque edicto Episcopi aliquem, si audiret Monialem sibi loquentem, & ipse illi non respondeat, quia prohibitio est lata contra loquentes, non contra audientes, & audire non est loqui etiam ex larga significatione vocabuli: ergo. Et ita nostram sententiam me citato tenet Pellizarius ubi supra, & me citato Zambellus in *Reper. Cas. Conscien. verb. Moniales*, numero 24. & me citato Lezana in *Q. Q. Regul. tom. 4. verb. Moniales*, num. 20. cum Vidal ubi supra, *Inquis. 2. n. 93.* & Merolla, num. 591.*

4. Sed hic obiter ad ornatum materię, notanda sunt aliqua. Et Primò contra Lezanam, ubi supra, non contravenire Decreto Sacre Congregationis, aut Edicto Episcopi aliquem, si loquatur cum Moniali per interpretem. Ita me citato tenet Pellizarius, numero 215. & me citato Zambellus, numero 24. & me citato Ianuarius, num. 15. & me citato Tamburinus, ubi infra numero 4. & Vidal me citato, Tamburinus, ubi infra numero 4. & Vidal me citato, numero 93. qui num. 94. etiam putat non peccare contra pro

Sup hoc in tom. 6. tr. 2. ref. 31. §. 1. in fin. & late in exteris aliis ejus argot.

prohibitionem loquentem cum Moniali in lingua ab ipsa non intellecta, etiam si quidam alias explicet Moniali sensum verborum, quoniam in hoc casu ille talis loquitur proprie cum Interprete, non cum Moniali: ergo. Confirmatur ex Sanchez lib. 2. mor. cap. 10. num. 51. ubi docet, loquentem Librum prohibitionis, conscriptum tamen lingua sibi omnino ignota non affici pœnis latis contra legentes libros prohibitos; nam cum tantum materialiter legat: non datur periculum subversionis; & ideo pro illo casu particulari cessat finis legis prohibentis: ergo hoc idem à pari in casu nostro. Idem docet Merolla, num. 608. Pellizarius, num. 216. Et idem dicendum videtur de eo, qui de domo posita prope Monasterium loquitur cum Monialibus, quod me citato concedit Tamburinus de Iure Abbatissarum, diss. 2. §. 8. num. 1. & me citato Lezana, ubi supra, & me citato Pellizarius, num. 214. & me citato Ianuarius, n. 25. & alij penes ipsum; quibus adde Vidal numero 87. & Pacem Jordanum in variar. Elucubrat. tom. 1. lib. 7. tit. 12. numero 37.

5. Nota Secundo contra Merollam: loquentes cum Abbatissa, non contravenire Decreto; & ita docet me citato Lezana, num. 22. & me citato Tamburinus, n. 5. & me citato Joseph de Ianuario resol. 44. per tot. qui respondet latè & doctè ad omnia argumenta contraria sententiæ quam adduxerat Merolla. Et hanc sententiam me citato tenet etiam Zambellus, ubi supra, & me citato Pellizarius num. 208. & Vidal, numero 89. Vnde non est audiendus novissimè Squillante de Privileg. Episcop. part. 1. cap. 13. num. 58. qui me citato auctoritate Patris Megala contrarium videtur docere.

6. Nota Tertiò, prohibitionem contra colloquentes cum Monialibus non afficere scribentes ad illas: ita me citato tenet Squillante, ubi supra num. 48. & Ianuarius, resol. 46. qui citat Sanchez, Tamburinum, Merollam, Graffium, & Bonacinam, quibus adde Barbofam de Potest. Episcop. part. 2. alleg. 101. n. 78. cum segg. licet contrarium asserat Campanili in Rubr. 12. cap. 16. n. 46. cum segg. Pax Iordanus in Var. Elucubrat. tom. 3. lib. 7. tit. 12. num. 60. & alij.

7. Nota Quartò, quod Episcopi loquentes cum Monialibus non includuntur in Ediçto Ordinarij illius loci, vel ex consuetudine, seu præsumpta licentiâ ipsius Ordinarij, vel quia dum Ediçtum non ligat profertem, neque debet ligare aequalem, ex cap. Cum inferior, de major. & obedientia, & ex leg. penult. ff. de Arbitr. & ita me citato tenet Pellizarius, num. 210. Ianuarius num. 15. & alij penes ipsum. Non tamen assentior Patri Vidal, qui ubi supra docet, non solum Episcopos, sed etiam Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, posse ad Monasteria Monialium accedere, & cum ipsis colloqui: hoc enim est prorsus negandum, ut patet praxi quotidiana.

8. Nota Quintò, Peregrinos, & Advenas habentes animum permanendi in aliena Civitate pro minori anni tempore accedendo ad Moniales absque legitima licentiâ, etiam sine necessitate, neque mortiferè peccare, neque incurrere pœnas specialiter latis in illo loco. Probat: Peregrini non obligantur servare leges, & statuta locorum, in quibus permanere non intendunt per longum temporis intervallum; quia cum non sint pars illius Communitatis, quæ est subdita illi Legiſlatori, neque subiciuntur ejus Jurisdictioni, neque forum acquirunt; ut constat ex leg. heres absens, §. Proinde ff. de Judiciis, & ita me citato docet Pellizarius, n. 211. Ianuarius, resol. 34. mon. 24. Et ita hanc sententiam tenet etiam Vidal num. 88. qui etiam n. 93. extendit ad declarantem Moniali aliquem casum conscientiæ; nam talis locutio

habet potius speciem sermonis, & exhortationis, quam propriæ locutionis. Idem docet Ianuarius ubi supra, num. 17. Et tandem me citato docet Pellizarius, num. 221. quod non possint dici transgressores prohibitionis Episcopi, Pueri, & Puellæ, si ante 14. annum sine licentiâ accedant ad Moniales cum ipsis colloquantur, tum quia respectu illorum non concurrunt causæ ex quibus solet induci dicta prohibitio; sicque procedit doctrina, quod cessante fine legis, cessat lex; tum quia Ecclesia non solet cogere quemquam suis Censuris ante annos pœbertatis, compatiens fragilitati illius ætatis; constat autem quod talis prohibitio solet fieri sub aliqua Censura. Et ita hanc sententiam tenet etiam Tamburinus, numer. 8. Vnde si Puer dubitat an ætas sit completa post factam diligentiam, potest tuta conscientia loqui, quia possessio non stat pro statuto, sed pro ætate. Et ita tenet Ianuarius, num. 15. Merolla, num. 620. Pellizarius, num. 221. Et plura ex his à me alibi notata, iterum adnotare volui, ut illa magis auctoritate Doctorum firmarem: cautè tamen, & maturè procedant Regulares; nam in foro exteriori ab Episcopis supradicta difficulter admittenda esse puto; ideo videant quid faciant.

Sup. his supra in ref. 84. §. Nota quinto, in principio.

Alibi in omnibus ref. præteritarum annotationum hujus ref.

RESOL. LXXXVIII.

An colloquentes cum conversis Monialibus incidunt in censuras latis ab Episcopo; vel si sint Regulares in pœnas Sixti V. & Sacre Congregationis? Et an loquentes cum Monialibus signis, aut nutibus, vel per intermediam personam, aut per scriptum peccent, & incurrant pœnas? Ex p. 10. tract. 14. & Misc. 4. Refol. 53. aliis 51.

§. 1. Negativam sententiam docet novissimè Marcus Vidal in Arca Theolog. Mor. de Monialibus, Inquis. 2. num. 91. ubi sic ait: Adde Secundo, non incurrere pœnas, neque moraliter peccare loquentem cum Monialibus Conversis: nam, ut asserit Tufchus litt. M. verb. Moniales, conc. 333. Conversæ non sunt veræ Moniales, quantvis Professionem emittant, differunt etiam in multis, nempe nomine, exercitio, & in multis locis non servant rigorem Clausuræ, non habent vocem, non tenentur ad divinas preces, & multas differentias congerit Federicus de Senis, conf. 213. Affl. et. Franc. Abb. hæc ille: ergo. Ita Vidal.

2. Sed ego affirmativæ sententiæ adhæreo, quam etiam novissimè tenet doctus, & amicissimus Ioseph de Ianuario de Casibus reserv. resol. 34. numero 48. sic asserens: Nota duodecimò, quod nomine Monialium, veniunt etiam Conversæ intervenientes Monialibus, can. Vi lex. 27. quest. 1. capite. Non dubium de sentent. Excommunicat. tenentur enim istæ observare Clausuram sicut & ceteræ Moniales Choristæ, &c. ut rectè observat Graffius lib. 2. de Casibus cap. 5. numero 40. Sicut nomine Monialium veniunt etiam Monasteria Sororum, ut ex consuetudine optima legum interprete habetur.

3. Sed si aliquis hic obiter quærat, an loquentes cum Monialibus signis, ac nutibus peccent, & incurrant pœnas? Respondeo affirmativè. Et ita docet Baucius de Casibus reserv. Eccles. Neapolit. cas. 4. petes 2. fol. 20. & me citato etiam Ianuarius, ubi supra, n. 49. ubi sic asserit: Nota quod qui loquitur cum Monialibus per nutus, & signa, incidit in casum nostrum: Nam verè explicat suos in-

Sup. hoc sup. ref. 84. §. Nota secundo, in principio.